



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

Torsellini, Orazio

Romae, 1597

Cap. 24. Ioannis Austriaci pietas in Lauret. Aede visenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

undique splendore collucens, sublata dextra obuijs populis benedicere videbatur. Circa eum symphoniaci pueri Angelorum faciem gerentes suauissimo concentu cuncta complebant. Currum porro vis ingens Martyrum, Diuorumque cuiusque ordinis, ac generis, virorum feminarum, Virginum coronata, cum victoriarum insignibus sequebantur, spectatorum turbam ad paria decora exemplis suis inuitantes. Sane tota actio non magis spectaculum fuit, quam inuitamentum pietatis.

Ioannis Austriaci eximia pietas in Lauretana Aede visenda.

Cap. XXIII.

*Ann. Laur.
Rier.*

*Ioan. Austr.
pietas & D.*

NEC illa tempestate Aedes Lauretana populorum spectaculis, quam procerum praesentia celebrior existit. Ioannes Austriacus vir Carolo Quinto Imperatore patre dignissimus, nec paterna gloria, quam sua virtute clarior, eodem ipso anno Lauretum voti causa aliquando perrexit. Is quinquennio ante aduersus Turcas nauali praelio dimicaturus Lauretanæ Virgini voverat, si superstes ipse partem de Barbaris victoriae foret, Lauretum utique ad eam iturum. Caeterum voti competentem publica negotia alia ex alijs morata erant, quominus ante id tempus posset fidem exsoluere. Itaque cum Neapolim victrici classe tenuisset, non horror saeuientis hyemis, non publicæ, priuatæque negotiorum curæ, non procerum, populorumque preces flectere eum potuerunt, ut ne summa hyeme, itineribus glacie, ac niue obsitis, fluminibus passim turgentibus, Lauretum ad Beatam Virginem iter intenderet. Et horrida tempestas insigniorem pietatem optimi Principis fecit. Recinetensem portum equo praetergressus, ut procul Aedem Lauretanam conspexit; venerabundus caput aperuit, ac
Deipa-

Deiparam Virginem salutauit. Inde velut alienato à sui cura ad cœlestis Reginae venerationem animo, nunquam neque imbris, neque cœli inclementia perPELLI potuit, vt semel apertum operiret caput: adeo se caputque suum B. Virgini deuouerat, cuius præsidio se incolumem credebatur esse. Postquam ad sacram Aedem peruenit, totius ante actæ vitæ noxis confessione expiatis, grates B. Mariæ ingentes agit: protinus vota persoluta satis magnæ pecuniæ cumulat dono. Comites insuper, & voce, & extemplo ad parem pietatis laudem accendit. Voti pietatisque munere perfunctus Neapolim regreditur, ingens Lauretanæ Virginis desiderium secum ferens.

Singularis pietas, ac munificentia Ioannæ Austriacæ Magnæ Ducis Hetruriæ.

Cap. XXV.

NEC per id tempus Principibus viris feminæ nobilissimæ pietate erga B. Virginem cessere. Quadrien-
nio ante (opus enim fuit rerum, personarumque ordinem sequenti, negligere non nihil ordinem temporum) inter initia Pontificatus Gregorij XIII. Ioanna Austriaca Ferdinandi Cæsaris filia, eademque Francisci Magni Hetruriæ Ducis vxor Lauretum petijt, diuturnam Virginis visendæ sitim explere cupiens. Ergo Pontificis iussu, tota Pontificia ditione, regio cultu excepta à Paulo Odescalco Atriensi, & Pennensi Episcopo, qui ad id ipsum ab Vrbe destinatus fuerat à Põtifice Max. ad optatissimam Virginis Aedem deducitur. Ceterum pia mulier sub Recineti mœnibus, Lauretana Aede procul inspecta, confestim vehiculo desilit, ac submissis genibus Deiparam enixe salutatur. Inde reliquum iter conficit pedibus, vniuerso comitatu Dominæ exemplum sequente. Lauretum intrauit in veste candida,
tenui-

*Anna. Laur.
Riera.*